



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

Ad Mariam Virginem Deiparam Epilogatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

A D
M A R I A M
V I R G I N E M
D E I P A R A M
E P I L O G A T I O .

VT meus hic tandem libellus assur-
gat ab humili, ac verticem te-
neat: ut iusti Voluminis dignita-
tem, ac speciosum Theologie mo-
ralis titulum sibi vendicet, in primis te, qui
liber es sapientiae præstantissimus, tuo ve-
rius, quam suo munere adeat. In te namque
solertiſſimus pariter, ac mitissimus Agnus li-
brum prodit hominibus, qui septemplici si-
gnatum custodia (ut Richardus Laurenti.
lib. 12. de laud. Virg.) miram, & ignotam
sacrorum ratione includit. Primus Tractatus,
seu sigillum fert immotam legum severitatem,
tuamque vicissim & singularem immunita-
tem, & studiosam obseruantiam: ies namque
quamvis omnino soluta, tamen libertia colla
submittis. Secundus inter tot scelerum fordes
purum præstat Artificis gaudium, quod ex

L L I ranta

tanta peccatorum eluuie, ne minimam quidem labem contraxeris. Tertius, in Æquitate versatur, quam à te nimis seruatam, quæ tua sunt, nec vñki debita peccatorum omnibus impertiendo, ostendit. Quartus disputatione de Censuris, quarum vinculis extimescendis eripis, duram eorundem ceruicem tua interpellatione frangendo. Quintus est de Fide, Spe, Charitate, ac Religione, tēque virtutum omnium collegium, ac domicilium depraedat. Sextus triplicem, id est, Sacerdotalem, Religiosum, secularemque complectitur statum, quorum in ea maxima felicitas, si tuis studiose incumebit Officijs. Septimus de Sacramentis, te sacrarium omnium Sacramentorum appellat. Ditescat igitur ab libertate tua meus libellus, ut & legentibus utilitatem, & excipientibus plausum excitet, qui totus ex aere tuo censembitur quicumque mihi quippe tuo seruo contigerit, ac tandem certissimo flexu redibit ad gloriam Agni I E S V, qui non sine communi omnium salute Iesuitis suis sacrum Volumen resignauerit.

Sacerdos sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni usque ad apicem omnia subiecantor.

Laus Deo Dei-parenti, Iosepho, Ignatio,
Antonio.

INDEX